ORATIO
IN LAUDEM
CARDINALIS ANTONINI SERISALIS
ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI.



NEAPOLI MDCCLIV.
Apud Nicolaum Nasum Typographum.

UTRIUSQUE POTESTATIS PERMISSU.

Nobilitas nihil aliud est,
nisi cognita virtus.

Cic. ad Hirtium.

CAROLO GAETÆ

PATRICIO NEAPOLITANO

Senatori Amplissimo,
Atque Sanctioris Concilii
Quinqueviro

JANUARIUS ROSSUS
D. D.



NCREDIBILI lætitia affecti sumus, quum ANTONINUM SERISALEM Tarenti Archiepiscopum, vi-

virum præclarissimum, Tuum Affinem, nostræ Ecclesiæ Antistitem declaratum esse audivimus. Sed inter tot bonorum Civium gaudia, & congratulationes aliqui rerum ignari extiterunt, quorum de hac electione, quæ præter omnium opinionem accidit, alii alia sensisse videntur. Nec enim, hoc admiratione dignum esse a viris sapientibus, censetur. Nam si quis profecto non modo recentia, sed vetusta quævis tempora repetere velit, ex innumeris hominibus, virtutum omnium genere præstantissimis, vix unum, aut alterum inveniet, quem summus omnium consensus semper probaverit. Sed ut isti se hisce vanis sermonibus abstineant, aliquid de SERISALIUM gentis antiquitate, & nobilitate a gravibus historicis depromtum, atque de egregiis nostri Antistitis virtutibus, qui suæ splendidissimæ familiæ ob sua

præ-

præclara facinora novum lumen; atque ornamentum addidit, non pauca dicere conabor. Hæc quum animo agitarem, & cuinam hanc brevem orationem offerre deberem, post varia consilia, multis adductus rationibus Tibi, Amplissime SENATOR, dicare jure censui. Nam amicitiæ nostræ vetustas, & Tua singularis erga me benevolentia, atque etiam affinitas, qua Te cum SERISALIUM familia devinxisti, hortata est, ut hac occasione, ne meo deessem officio, Tibi libentissime largiri deberem. Tu interim, velim, tua singulari humanitate hoc meum munus accipias, quod si ex tua dignitate spectetur, perexiguum, si ex meo animo, maximum. Habes igitur instituti mei rationem. Reliquum est, ut qua semper me Tua benevolentia es prosecutus, eadem hoc donum summam erga Te observantiæ

te-

teſtificationem excipias. Si obtineam; omnia mihi ex voto accidiſſe arbitrabor.

ORATIO.



UANTO gaudio, EMINENTISSIME PRINCEPS, Neapolitana Civitas, quæ ſui Antiſtitis deſiderio, atque abſentia mærebat, perfuſa ſit, quum nuncium acceperit, Tibi a BENEDICTO XIV. Pontifice Optimo Maximo hujus Eccleſiæ gubernationem delatam eſſe, nequaquam verbis, atque oratione exprimi poſſe mihi videtur. Et quidem bonum, fauſtum, felixque nobis accidit, Tibi potiſſimum Neapolitanam Eccleſiam commiſſam, creditamque eſſe, qui Te ita optime in adminiſtrandis Eccleſiis Brunduſina, & Tarentina geſſiſti, ut tanquam perfectum, atque abſolutum antiquæ illius innocentiæ, atque integritatis exemplum omnium illarum

Ci-

Civium prædicatione, atque laudibus extollereris. Qua propter omnes Cives boni Deo Terrarum Orbis Moderatori maximas gratias egerint, quod BENEDICTO XIV. Pontifici Optimo Maximo, & CAROLO Regi noſtro Clementiſſimo mentem dediſſet, ut Te poſt varios rumores, atque inter tot Competitores præter omnium opinionem ad regimen hujus Eccleſiæ ſummo, ac communi conſenſu deligerent. Sed maximam mihi aliqui inter tot gratulationes admirationem attulerunt, qui omnium rerum imperiti in SERISALIUM familiam & antiquitate, & nobilitate inſignem, oblata hac occaſione, aliqua dicta inconſulte jactarunt. Sed ut edoceantur, quod parum exploratum habent, de amplitudine, atque gloria SERISALIUM familiæ ſermonem habere inſtitui. Sed hæc omnia explicari non poſſunt, E. P.

quin

quin de Tuis laudibus nonnulla dicantur: idque cum aliqua Tua molestia fieri necesse est; propterea quod, ut quisque laude dignissimus est, ita minime libenter laudes suas audire exoptavit. Supplex igitur a Te hanc veniam peto, ut, quæ de antiquissima familiæ Tuæ nobilitate apud varios Scriptores disseminata sunt, ea me brevi attingere patiaris. Esset enim sine dubio magnum ingrati animi Crimen, atque maxima negligentia, si, dum Tibi Roma, Italia, ac tota denique Europa applaudit, gaudet, gratulatur, quod BENEDICTUS XIV. a Tarentina ad Neapolitanam Sedem transtulerit, atque erexerit, ac in Cardinalium cooptaverit Collegium, nos, ad quos magis præter ceteros illud pertinet, nullum amoris, nullum observantiæ, nullum pietatis officium, nullamque gratulationis testificationem ostenderemus.

Igitur noſtri animi ſenſus, noſtræque erga Te voluntatis ſignificationem magis magisque hac brevi oratione declarare cenſuimus.

Nemini inter omnes ſanæ mentis viros dubium eſt, quin amplitudo, & nobilitas non a divitiis, quæ animos deſides, ac in vitia pronos reddunt, ſed a virtute, quæ clara, æternaque habetur, hominesque immortales efficit, ſuam originem ducere videatur. Hinc celeberrimi Oratores, Hiſtorici, atque Poetæ ſuorum heroum nobilitatem a præclaris facinoribus, quæ vel pace, vel bello geſſerunt, repetere ſolent, magnoſque viros virtute, non opibus, ac divitiis metiuntur. Si quis profecto Hebræorum, Græcorum, ac Latinorum hiſtorias diligenter luſtraverit, plane perſpiciet, Quid Davidem, Salamonem, alioſque Iſraeliticos heroes? Quid Themiſtoclem, Phocionemque, alioſ-

que

que Athenienſes? Quid Camillum, Catonem, Fabium, alioſque Romanos tanta prædicatione, ac memoria dignos apud poſteros reddidit, niſi virtus? Sine dubio juſtitia, temperantia, innocentia, atque eximiæ artes effecerunt, ut Reſpublica Romana ex minima, tenuiſſimaque, maxima & florentiſſima evaſerit, atque illud imperium, & populi Romani per Europam, Aſiam, Africam, ac denique totum Terrarum Orbem nomen dilataretur. Quis non videt, tot inſignes heroes non in divitiis, atque opibus, ſed in virtute gloriam, famam, immortalitatem, & nobilitatem collocaſſe.

Quæ profecto tot viros nobiles, ac inclytos reddiderunt, ea omnia in tot SERISALIUM familiæ heroibus inveniri mihi videntur. Atque hoc vere affirmare poſſumus, non multas familias in hoc Regno reperiri, quæ cum SERISALIBUS

vel antiquitate, vel rerum geſtarum gloria, vel arte militari, vel litteris, vel oppidorum dominatu comparari poſſint, quippe qui ſeptingentos abhinc fere annos ſui generis incunabula a pervetuſtis Surrenti Ducibus repetere poſſunt. Ille enim Magiſtratus, qui gerebatur a viris virtute præclaris, erat tantæ dignitatis, atque æſtimationis, ut Leo Hoſtienſis inter Italiæ Optimates, qui ad Conſecrationem Baſilicæ Caſſinenſis ſub Alexandro II. Pontifice Maximo celebratam convenerunt, illum recenſeat. Ab hoc, Sergio Duce (ut optime aſſerit Carolus Burrellus Neapolitanæ Nobilitatis acerrimus propugnator) omnes SERISALES ſuam originem, genus, nobilitatemque ducere videntur. Verum id, quod potiſſimum illius Magiſtratus amplitudinem, & antiquam SERISALIUM nobilitatem oſtendit, eſt affinitas, quæ eodem Sergio

Du-

Duce cum Capuæ Principibus intercessit; Is enim filiam suam in matrimonium Jordano II. collocavit. Ex iis porro parentibus susceptus est Princeps Robertus, qui annalium monumentis valde celebratur. Quis igitur tam antiquam illius familiæ nobilitatem meritis laudibus extollere poterit? Quis tot heroes ab hac familia natos recensere conabitur? Nam quid memorem tot summos viros, clarissimosque homines, qui sub Regibus Nortmannis, Svevis, Gallis, Aragonensibus pietate, litteris, atque armis floruerunt. Omitto quot oppida hujus regni, quot castella, quot vicos, quæ ob egregias illorum virtutes tam munifice largiti sunt Reges. Etsi longum profecto esset, consecutam tot illustrium virorum seriem, qui a tot scriptoribus laudantur, recensere, tamen aliquos nullo modo præterire possum. Quid igitur dicam de Bartho-

lomæo,

lomæo ; qui omnibus belli , ac togæ dotibus ornatus in Samnio Caroli I. Regis vices geſſit , & de Philippo , qui ob ſingularem prudentiam ſub Carolo II. idem munus obtinuit . Sed inter tot egregios viros etiam enituit Jacobus præſtantiſſimis tum corporis , tum animi virtutibus præditus ; ac tanto ingenio ſapientiaque ornatus , ut Joanna I. Regina in arduis , difficillimiſque rebus , & præcipue in contentionibus inter Principes hujus Civitatis ortas , ut graves diſcordias ſedaret , ſemper illum adhibuerit . Atque hic licet quamplurimos alios omittere mihi altiora perſequenti neceſſe eſt, tamen Petrum SERISALEM , qui ſeculo decimo tertio Neapolitanam Eccleſiam obtinuit , nequaquam tacere poſſum . Is enim , qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit , aut dixit , aut ſenſit , tanta prudentia , tantaque integritate fuit , ut Cives in

maxi-

maximis hujus regni tempeſtatibus, ac fluctibus eum ut peritum navis gubernatorem conſulere conſueverint, ejuſque voluntatibus, conſiliiſque obtemperarint: qui etiam inter cetera egregia facinora ipſe inclytas D. Dominici, ac D. Franciſci familias in hanc Urbem primus invexit. Merito igitur maximo in honore habitus fuit ab Honorio III. & Gregorio IX. quemadmodum eorum decretales epiſtolæ ad illum directæ teſtantur. Neque ſolum tot viri inſignes hujus familiæ nobilitatem augent, ſed etiam affinitates, quas cum inclytis familiis SERISALES conjunxerunt, quorum ſeriem dicere longum eſſet, dum tantummodo ad adprobandam hujus familiæ amplitudinem ſufficeret, quod plurima ante ſecula SERISALES in Nobilium Nidi Collegium cooptati uſque ad præſens tempus reperiuntur. Et de hac re equidem multa verba facere poſ-

ſem; Sed mihi ante oculos obverſatur tua virtus, Eminentiſs. Princeps, atque dignitas, quæ me ad ſe rapit, hæc licet omni laude digniſſima relinquere hortatur; eo magis quod tua familia vivet memoria omnium ſeculorum, dum hiſtorici, lapides, marmora, monumenta, nummi etiam ejus magnitudinem, atque antiquitatem teſtantur. Igitur in hac parte non immorabor, nam plura dicere in re tam nota ſupervacuum eſt: & qui ſuis laudibus abundat, aliena conquirere, alienum mihi eſſe videtur.

Et ſane ſi umquam abjecta familia natus eſſes, eam tamen Tu ipſe ad ſummum dignitatis culmen extollere potuiſſes; ſplendidiſſima natus quum eſſes, ita Te geſſiſti, ut non minus ipſe dignitatis majoribus Tuis attuliſſe, quam ab ipſis accepiſſe videaris. Jam vero divinæ intererat providentiæ, ut quem ad adminiſtrandam Brunduſinam, Tarentinam, ac deni-

que Neapolitanam Ecclesiam natum voluerat, Te a pueritia eximium vellet, iisque omnibus corroboraret auxiliis, quæ tanti muneris obeundi ratio postularet. Sic ut cuncta Terrarum Orbis imperia sub Crucis redigeret potestatem, vanamque Ethnicorum religionem profligaret, duodecim Apostolos Christianæ fidei acerrimos propugnatores cœlestibus donis, divinisque beneficiis locupletavit. Ex Tuis profecto præclaris in Brundusina, ac Tarentina Ecclesia gestis unusquisque intelligere potest, Te a Deo Optimo Maximo tanquam Aaronem, atque Apostolum vocatum omnibus illis virtutibus, quæ dignitatem Episcopalem ornare debebant, præmunitum fuisse. Jam enim a teneris annis specimen futuræ bonitatis, atque integritatis præbuisti. Omnes enim, qui Te norunt, singularem humanitatem, innocen-

tiam, bonoſque mores ubique prædicant. Surrentini Cives Te ſemper tamquam exemplar bonitatis admirabantur. Itaque totum illud adoleſcentiæ tempus, cui ex communi hominum conſuetudine major quædam licentia tribui, & permitti ſolet, a Te non eis voluptatibus, quibus ætas illa nobilium adoleſcentium capitur, ſed in aſſiduis pietatis operibus conſumtum eſt. Ut autem dignitate Sacerdotali dignus evaderes, plurimam dediſti operam iis ſtudiis, quæ Eccleſiaſtico viro neceſſaria ſunt. O juvenem inter nobiles adoleſcentes omni admiratione dignum? qui non ad eas nugas animum Tuum contuliſti, quibus ſolet illa juvenilis ætas irretiri, ſed ad eas res animum adjunxiſti, quæ ad optimam vivendi rationem perducere poſſent. Nihil enim litteræ valent, ubi nullus eſt præclarus earum uſus. Et certe præclariſſimum ſapientiæ lumen in-

ter

ter fœdas vitiorum tenebras elanguescit, atque ornamenta ſacrarum diſciplinarum, quæ comparata ſunt ad gloriam, ſocordiæ & voluptatum ſeſe ſubjiciunt ſervituti. Quum igitur iis optimis præceptis inſtructus ita pietate excellebas, ita ſana doctrina ornabaris, ut nulli Eccleſiaſtico juveni cederes, magnopere obſtupeſco, qui fieri potuit, ut Surrentini, qui Te omni conatu, diligentiaque retinere debebant, ab eis Te ſejungi ac divelli permiſerint? O ingratam patriam, quæ ut talem Civem conſervaret, minime curavit? O beatam Neapolim, quæ ſuo ſinu complexa eſt? Profecto Tua Virtus, quam illi nullis præmiis affecerunt, a noſtris Civibus maximo in honore habita fuit. Unde Cardinalis Spinellus magis rebus præclare geſtis, quam purpura memorabilis inter Canonicos Maximæ Eccleſiæ cooptavit. Quæ vero a Te

 in

in hac Urbe gesta fuerunt, quia omnibus nota sunt, mihi præterire visum est. Quid ego illa prædicem? dum omnes, qui Tecum agebant, prudentiam singularem, maximam humanitatem, omnesque virtutes, quæ Ecclesiastico Viro inesse debent, admirabantur. Hinc merito CAROLUS REX noster, qui non humano, sed divino consilio, atque incredibili justitia hoc Regnum sapientissime gubernat, ac moderatur, Te Archiepiscopum Brundusii declaravit. Cui sine mora ulla BENEDICTUS XIV. libenti animo assensus est, quippe qui Te Ecclesiæ propugnatorem acerrimum, constantissimum Ecclesiasticæ disciplinæ assertorem, optimumque animarum Pastorem futurum certo augurabatur.

Nunc Ciceronis eloquentiam, qua summis laudibus Pompeii virtutes, & Cæsaris clementiam humanitatemque extollit, optarem, ut tot egregia facinora,

quæ

quæ in regenda Brundusina Ecclesia gessisti, meritis laudibus celebrare possem. Quis nescit ea, quæ D. Paulus in perfecto Episcopo desiderat, nempe sobrietatem, prudentiam, sanctitatem, continentiam, sanamque doctrinam omnia in Te uno affatim cumulata quosque conspexisse? Tu sobrius, Tu prudens, Tu moribus integris ornatus, Tu castitate vitæ sanctissimus ab omnibus æstimabaris. In tali igitur Episcopali munere potentiorem campum exercendæ virtutis tuæ nactus ita implesti omnes boni Pastoris numeros, ut merito ab omnibus maximopere commendareris. Quid nunc Tuam humanitatem laudibus efferam, quæ tanta fuit, ut neminem aut aspectu, aut colloquio tuo arcebas, omnia postulata libenter cognoscebas, nihil juste petentibus denegabas; siquid negare cogereris, ea tamen utebaris lenitate sermonis, ut eos quoque, quibus

ne-

negabas , æquos a Te , placatosque dimittebas . O utinam omnes , qui ceteros gubernant, hanc Tuam singularem Virtutem imitarentur . Sunt & alia, quæ nullo modo præteriri possunt. Nam de Tua liberalitate quid dicam? Tu viduarum gemitibus, pauperum calamitatibus semper præsto fuisti, Tuis pecuniis multorum inopiam sublevasti, Cathedralem Ecclesiam magnificentissime instaurasti, & quod omni admiratione dignissimum est, Tu ad illam expurgandam lapidum frusta, rudera, atque ruinarum materiem propriis manibus, ac humeris exportasti, Tu multas sacras suppellectiles renovasti, multasque sacras ædes refecisti. Ac demum ut adolescentes non solum Brundusini, sed etiam totius Provinciæ optimis moribus, atque bonarum artium studiis informari, atq. excoli possent, illud amplissimum Seminarium omnibus scientiis,

& do-

& doctis professoribus auxisti. Hoc profecto inter omnia, quæ ab optimis Episcopis in Ecclesiarum regimine fieri possunt, nec melius, nec sanctius, nec utilius Civitatibus esse, unicuique patet; nam felicitas & tranquillitas Christianæ Reipublicæ ab optima adolescentium institutione, atque educatione derivare quisque minime ignorat. Quid? Injurias vero neque facere ipse, neque eos, qui faciebant, perpeti poteras. Hinc ita faciles aditus ad Te privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis erant, ut Tu qui & nobilitate & dignitate Episcopali ceteris excellebas, facilitate, atque humanitate similis, & par infimis esse videreris. Igitur jure ut beneficum patrem colebant, & omnes, qui illinc Neapolim veniebant, multa de Tua æquitate, temperantia, atque integritate commmendabant, & Te præconio bonitatis extollebant. Qua

pro-

propter ita Te in hac administratione præstitisti,ut Tuorum erga Brundusinos beneficiorum nunquam memoriam deleverit oblivio. Sed mihi displicet in hac temporis angustia multa prætermittenda esse, quæ satis amplam ad dicendum materiam suppeditare possent. Nam quid prædicem Comitatem in omnes domesticos, quæ tanta erat, ut communis videreris parens, cum eis familiarissime colloquebaris, errantes paterna potius caritate, quam herili potestate, atque imperio corrigebas. Quam præclara Brundusinæ Ecclesiæ gubernatio? Qui in statis sollemnibus decor, & majestas? Si plures Tibi similes Episcopos haberet hac tempestate Ecclesia, nihil esset, quod priscis Christianæ Reipublicæ temporibus invideret. Etsi jactet se Constantinopolis de Chrysostomo, Mediolanum de Ambrosio, Nola de Paulino, Neapolis de Athanasio,

at-

atque antiqua Ecclesia de tot Episcopis sanctitate, & doctrina celeberrimis; tamen hac nostra ætate etiam Brundusium de ANTONINO SERISALI, quem tot heroibus comparari fas est, jure se gloriari potuerit. At vero præter Brundusinorum expectationem accidit, ut dum præclaram illam electam vineam Domini excolebas, divino profecto consilio, atque incredibili nostri optimi REGIS benevolentia de sede illa migrare jussus es, & ab eo, cui omnis potestas cœlitus concredita est, Tarentinæ Ecclesiæ es præfectus.

Quanta lætitia hoc gratissimum nuncium Tarentinos, tanta mæstitia Brundusinos affecit, quippe qui eximium Episcopum, diligentem animarum pastorem, pauperum refugium, viduarum solatium, atque puellarum egentium patrem amittebant. Merito undique lamentationes, gemitusque exau-

diebantur, omnes boni mærebant, templa gemebant, tecta ipsa Urbis lugebant, dum tam subito ab eis evolasti, qui paulo prius afflictis, ac prostratis rebus maximam opem libentissime tuleras. In tam gravi profecto vulnere ab illis accepto immanis belluæ esset, non commoveri, non conturbari. Itaque ad Tarentinæ Ecclesiæ curam, ac sollicitudinem traduceris, quem abeuntem Brundusini tristes non sine maximo dolore, atq. invitissimi dimiserunt. Atque hic certe eloquentiæ flumen optarem, ut quemadmodum cum honoris amplificatione Tua semper virtus accreverit, ita quoque in explicatione laudum Tuarum quasi per gradus attolleretur, & seipsa sublimior fieret oratio. Jam enim tot tuorum egregiorum pervagata fama meritorum Tarentinos jamdiu pervaserat, quos certe spes Tui optimi regiminis non elusit. Quid enim a Te, qui optime Brundusinam Ecclesiam

admi-

administrasti, ab illis non expectandum? Opinio quidem eos non fefellit. Nam vigilantiam, caritatem, prudentiam in illis regendis maximopere ostendisti. In Tuis enim ædibus, quæ dies noctesque consulentibus patebant, egenorum, hospitumque solatium, & perfugium erat: apud Te nemo aut Ecclesiarum emolumenta, aut beneficiorum accessiones, aut dignitatis gradum obtinuit, nisi spectatus, ac cognitus, nisi meritis onustus parem oneri animum præseferret. Omitto indefessam vigilantiæ curam, omitto impensos in itinere labores; quanta diligentia illius Diœceseos quascumque ædiculas obiisti: certe optima instituta præscripsisti, renovasti, instaurasti. O Virum omni memoria commendandum? at enim invictum hujus religionis studium ad quæ admiranda facinora non excitaverit? Tu omnibus, qui angu-

tulisti, puellas parentibus orbas, ne pudicitiam, ac virginitatem suam violarent, in matrimonium collocasti, pauperibus ægrotis omnia, quæ ad victum, & medicamenta necessaria erant, magna ac singulari caritate suppeditasti. Non sum prædicaturus, quot in pauperes eleemosynas erogasti, quot nudos veste contexisti, quot tua prudentia varias privatas, publicasque dissentiones composuisti. Porro ut dignitas Sacerdotalis ab omnibus magno in honore haberetur, effecisti, atque etiam pueris in fidei rudimentis imbuendis operam & studium sæpius contulisti. Imo ut depravatos plebis Tuæ mores reformares, verbi Dei prædicationem gravissimis licet curis distentus nunquam intermisisti. Jam mecum animo agito, quid egeris. Certe errantem ovem ut bonus Pastor Tuis humeris suscepisti, lacrymis, ac precibus perditos, ac flagitiosos homines

ad

ad meliorem frugem revocasti. O expressam nostri Servatoris imaginem? O vigilantissimum animarum Pastorem? Sed quo longius in altum evehor, Eminentissime Princeps, eo mihi amplior & patentior orationis quasi cursus ostenditur. Atque mihi plurimum displicet, quod tot arduæ res fortiter susceptæ, feliciter confectæ, maxima sollicitudine, assiduis laboribus, periculisque cohonestatæ ingenii mei, atque orationis inopia imminui videntur. Sed parvi refert, si vires pro meo ingenio in Te laudando desint, dum sufficit, quod habuisti hujus Tuæ spectatæ Virtutis æstimatores, ac judices BENEDICTUM XIV. Pontificem Optimum Maximum, & CAROLUM REGEM nostrum Clementissimum, qui Te tot meritis onustum ad Neapolitanam Ecclesiam destinarunt. Sine dubio hæc Tua Virtus majus thea-

Quod summo Divinæ Providentiæ consilio factum esse, omnes arbitrantur. Et sane qua Tristitia afficiebamur absentia Nostri Antistitis, dum is ad graviora Religionis negotia Romæ diu multumque expetitus Neapolitanæ Ecclesiæ gubernatione se demum abdicaverat, verbis exprimi Nequaquam potest. Verum ubi demum dies illuxit, qua optatissimum gratissimumque nuncium accepimus, Te nostrum Archiepiscopum creatum esse, quanta lætitia perfusi fuimus, dici vix potest. Sub Te, Eminentissime Princeps, qui & antiqua majorum Tuorum nobilitate, & tot magnis præclarisque rebus in Ecclesiæ Brundusinæ, & Tarentinæ regimine gestis apud omnes celebrabaris, beatissimos, fortunatissimosque futuros esse confidimus. De quo eo magis modo certi sumus, quod initio Tuæ administrationis in variis privatis, publicisque negotiis

gotiis

gotiis ſingularem Tuam prudentiam, ac modeſtiam jam experti ſumus. Te antea omni parte abſolutum Epiſcopum audivimus, nunc præſentem oculis cernimus tanta humanitate, ut nos, qui a Tali Viro gubernamur, maxima conſolatione repleamur. Merito igitur magnus ad Te in hanc Urbem ingredientem omnium ætatum, atque ordinum concurſus fuit, magna effuſa omnis generis multitudo. Merito, quocumque incedis, fauſtis acclamationibus omnia ita perſonant, ut mænia ipſa videantur, ac tecta Neapolis, & templa lætari, omnium in Te uno figitur obtutus, omnes ut Patrem patriæ colunt, ac venerantur. Non aliter nobis, quam ſperabamus, contigit. Quare perge, Eminentiſſime Princeps, amor & deliciæ hujus Civitatis, perge ut cæpiſti, ingentem profecto immortalemque gloriam aſſequeris. Itaque magnus ſine dubio ad Tua priſtina,

Ac tantummodo Te obtestamur, ut omnia Tu solus divinis præmunitus auxiliis gubernes, ac moderere. Nemo plane est, qui sapientius, ac prudentius Tibi suadere potest Te ipso. Certe nunquam laberis, si Te audies, quum ob longam experientiam bene regendæ Ecclesiæ Christiana caritate artem egregie calleas. Interim Deum Optimum Maximum, a quo omnis felicitas procedit, oramus, atque obsecramus, ut te incolumem servet, tibique det recte regimini Ecclesiæ Neapolitanæ vacare, haud dubii, quin porro ejusdem divina ope ex hac ad summum, & Cœlo proximum dignitatis, amplitudinisque gradum sis pro Universæ Ecclesiæ bono efferendus.

F I N I S.

ERRATA	CORRIGE
potentiorem	*patentiorem*
curavit ? complexa	*curavit ! complexa*
est ?	*est !*
beatam.	*Beatam.*
ingratam	*Ingratam*
absentia	*de absentia*

Aliis Levioribus mendis benevolus Lector ignoscat.

U.J.D. D.Paschalis Ferrignus in hac Regia Studiorum Universitate Jur.Civil.Professor revideat,& in scriptis referat. Die 16.mensis Junii 1754. NICOLAUS DE ROSA EP. PUT. C. M.

CELSISSIME REX.

QUandoquidem mihi a te datum est, judicium ferre de Oratione, quam vir eruditissimus D. Januarius Rossi scitissime concinnavit, ut Eminentissimi Antonini Serisalis Laudes pro sua, qua valet, eloquentia contexeret, patere pro tua humanitate, ut quid de re ipsa sentiam, paulo fusius, quam par est, dicam. Ac primum quanto gaudio animus meus completus fuerit, quantaque exultarit Lætitia, quod jam Cardinalem Antoninum Serisalem justissimis laudibus donari cæpisse noverim, haud satis queo dicere. Næ is ego sum, qui cum Tarento Romam eumdem properantem audiverim, ut Neapolitanæ Ecclesiæ Antistes declararetur, sexcentis Elogiis opus esse palam tenere cæpi, ut non tantum apud Neapolitanos Cives, sed & apud exteros qualecumque Neapolitanorum virorum de Republica Litteraria benemerentissimorum viri tanti judicium in omne futurum tempus esset testatissimum. Et vero quis res ab eo strenue, ac præclare gestas solus enumerare valet. Ejus mira Indoles, Pietas, Vigilantia, Moderatio, Fides jamdiu perspecta sunt, eruntque apud posteros tali exemplo, ut parem hominem, qui tot virtutes insemet complectatur, invenire difficile admodum sit. Ac volupe quidem mihi esset, Rex Potentissime, quædam Eminentissimi Serisalis ornamenta, pro Ingenio meo scilicet, in unum cogere, si aut id agerem, aut persuadere rem deberem, quæ temet acerrimum æstimatorem jamdiu non habuisset. Nec enim Neap. tantum, sed vix ullus noti Orbis angulus est, quem non tui fama compleverit, quod præ ceteris Serisalem primum summis dignitatibus cumulaveris, ac porro Pontifici Max. Benedicto XIV. Immortalis Memoriæ viro obtuleris, ut demum non sine Cardinalitia dignitate Archiepiscopus Neapolitanæ Ecclesiæ crearetur. Igitur cum hæc mea, quæ quæ sit, non ferat oratio, lubenter mitto; eo magis quia calamum subiverunt D. Januarii Rossi Cl. eloquentiæ professoris, qui jam omnium ferme primus ejusdem decora omnia styli elegantia, simplicitateque perbelle executus, ne quis forte rerum gestarum veritati, cui unice ab eo studetur, per verborum phaleras decedere aliquid conquereretur. Et sane is

Illustri, ac Senatoria, uti cuivis compertum est, prosapia sato, eidem Cardinali carissima affinitate devincto, cujus sapientiam, fidem, dexteritatem tu ipse in dies admiraris adeo, ut sua in te merita quotidie testata facias. Ut haud inmerito sit, cur æqui rerum æstimatores alia munera a te excepturum eumdem sperent, quod quoque animus mihi meus auguratur. Idque profecto dictum a me velim, non quod singulari in tantum virum observantia mihi animus sit decertare, verum ut occasione data, meum in eumdem amorem, existimationem, ejusque gloriæ in me cupiditatem palam significarem. Accedit porro oratio, cujus priori parte mire eorum insanias propellit Auctor, qui, nescio quo invidiæ ardore moti, Serisalianæ gentis antiquitati, ac splendori male consulere sategerunt. Posterior autem pars tota est in Eminentissimi Cardinalis rebus gestis enarrandis. Qua in re, quantum præstet, vel luscitiosus quisque videre poterit; cum vix oculos in eam conjicienti luculenter patebit nitor ille, quem in Tullio omnis ætas fuit admirata. Hæc habui, quæ fusius tibi dicerem. Nunc igitur, ne tibi amplius moræ sim, remque alienam tractare plenissime videar, Ajo Typographum nihil tenere debere, quominus orationem istam quantocius edat, cum ceteroqui nihil a Regiis juribus absonum complectatur. Sed judicium meum, quale id cumque sit, Imperio submitto tuo, Rex Invictissime, quem Deus perdiu incolumem servet.

Neap. Non. Jul. CIƆIƆCCLIV.

Addictiss. & obsequentiss.
Paschalis Ferrignus.

Die 17. mensis Julii 1754. Neap.

Viso rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 15. currentis mensis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Paschalis Ferrigni de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod Imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris; verum in publicatione servetur Regia Pragmatica, hoc suum.

CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. GAETA. PORCINARI.

Illust. Marchio DANZA Præsidens S. R. C. tempore subscriptionis impeditus.

Reg. *fol.60. a ter.*
Carulli.

Athanasius.